



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Observationes in Cap. VI. in quo agitur de Judiciis Publicis & de Rebus  
quibuscumque ad ea tàm generatim, quàm speciatim pertinentibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)



prohiberi in illis casibus, quos enumerasset. 4. Quoties Delegatio prohibetur, toties Subdelegationem interdicti, quod probasset exemplis in Jure relatis; 5. Quasdam personas Ordinariam Jurisdictionem exercere posse, non posse autem à Pontifice delegari. Sic perspicue expositum fuit hoc argumentum in TRACTATU de Jurisdictione.

Pluribus Exceptionibus subjicit casus, quos sub unâ referre debuisset. Tales sunt 2. 4. 5. 6. 7. 8. quas in unicâ circa Suspicionem includere debuisset; nam delegatus à Judice suspecto, suspectus est; conservator conservatoris sui suspectus foret; Domesticus Partis, & alius quivis ipsi Subditus, foret suspectus; idem est de eo, qui similem litem haberet; Judex, à quo provocatum fuit, suspectus esset; Judex in casu appellationis, Judex nominatim ab alio postulatus, alteri litiganti suspectus est. Hoc modo statim percipitur, hos omnes casus propter Suspicionem prohiberi.

Aliæ duodecim Exceptiones cum suis Replicationibus & Duplicationibus ad duas Regulas reduci poterant, quarum una casus omnes, in quibus delegatio nulla est, complexa foret; alia verò omnes modos, quibus extinguitur. In singulis sub eodem prospectu collocatæ fuissent plurimæ res gravis momenti: id præstitum fuit in laudato tractatu.

Quod dictum fuit suprâ, de casibus, in quibus Leges non obligant, applicandum est iurisdictionibus Magistratum.

Quod dicit Autor de usu Mitræ QUÆST. V. n. 3. non convenit Magistratibus, de quibus agit.

OBSERVATIONES in CAPUT VI. in quo agitur de JUDICIIS PUBLICIS & de Rebus quibuscumque ad ea tam generatim, quam speciatim pertinentibus.

Autor hic proponit QUÆSTIONES octo, quarum Tertia & Quarta hic præcipuè discutientur. Agit in Tertia de causis aut peccatis, quæ Judiciis Publicis obnoxium aliquem faciunt. Proponit hanc REGULAM, neminem puniri debere, qui sons non sit, nisi subsit causa, quæ contrarium petat, neglectâ expositione hujus exceptionis, XVII. alias refert, quæ reducuntur ad circumstantias, quæ à peccato eximunt, aut illud minuunt, itâ, ut non imputetur, quoad punitionem, aut vindictam publicam. 1. est, ut actio facta fuerit sine dolo, neque nocendi consilio, quod locum habet tantum in fatuis, aut infantibus, aut cæcis, aut coactis, aut personis ex alienâ fraude, sive ex qualitatibus virium potentis inscitia, ebris. Sic exponendæ sunt sex priores Exceptiones, nec non Octava, cum Textibus, quibus fulciuntur, desumptis ex CAUS. XV. QUÆST. I. & ex verbis Gratiani. Idem est de eo, qui agit ex iurisdictione Superioris, cui parere tenetur. REG. XXIV. de Reg. Jur. in 6. quoad Forum exterius restringendum est. Ad hanc rem pertinet Octava Nona, reducitur ad eas, quæ sumuntur ex defectu usus rationis & pertinet ad belluas.

A Primâ excipiendus est casus, quo Lex facinus puniunt: 6. 1. de Homic. in 6. ab Undecima casus hæreticos aut excommunicationis, quæ post mortem ligant.

Duodecima & duæ sequentes Falsæ sunt, ex quo accusatio Actoris publico reservatur. In Decima septima laudat verba Gratiani, tanquam pertinentia ad Can. si quis Potestatem 31. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. Gratiani verba cum Textu confundit in Replicatione generali, quæ valde notabilis videtur, si locum habeat in omnibus Excusationibus seu Exceptionibus suprâ memoratis; scilicet, eum, qui Delatorem corrumpit, pro convicto haberi in omni causâ, nisi agatur de Sanguine. Clausula hæc ab Autore omissa est.

Exceptio, cujus expositionem omisit Autor, quamvis nominatim exprimat in Regula, quam laudat, nempe 23. de Reg. Jur. in 6. exponitur à CANISIO in illam Regulam. Ibi plura refert exempla punitionis puero-rum Innocentium, præ odio criminis Paterni: tales sunt

præsertim ii, qui nati sunt ex Patribus in hæresi defunctis, aut læsæ Majestatis reis, vel extrâ legitimum Matrimonium maximè ex personis Deo dicatis.

Quarta Quæstio, in quâ discribitur de Personis, quæ ad accusandum admittuntur, aut secus, nullius est usus hodie; nam, ut dictum fuit, accusatio reservatur publico Actori. Itaque, Regula cum Exceptionibus XLV. & reliquo famulatus, facta est inutilis. Præterea, credibile est eos, quorum interest, aut qui læsi fuere, damni resarcitionem potuisse semper postulare, ut possunt hodiè, vel per se ipsos, vel per alios. Verba hæc Quæstionis, quibus competant accusationes, seu Judicia publica, significare videntur, accusationes esse Judicia publica, quorum sunt pars tantum.

Quinta loquitur de iis, qui publicè accusari possunt, & reducitur ad duplex Personarum genus scilicet eas, quæ patravenerunt crimen, & eas, quæ in illud influxerunt: Itaque omnes Exceptiones ab Autore observatæ, ut plurimum ad Regulam pertinent; nihil enim aliud sunt, quàm casus Societatis in crimine.

Sexta Quæstionis Titulus sic conceptus, Per quos Judicia publica competant, non exponit perspicuè sensum ejus; scilicet, an accusatio & defensio rei per Procuretores fieri possint.

Septima Quæstio, quæ loquitur de Judice delicti, poterat inscribi de Judice accusationis.

REGULA Tertia falsa est, & Cap. 3. de Accusatione eam non probat; absit, ut S. GREGORIUS dixerit, accusationem fieri debere apud eos, quorum interest, quippe qui Judices esse nequeunt.

Quinta, dicens, accusationem publicam fieri non posse coram Magistratu Ecclesiastico, ostendit, Censuras, inter pœnas Judiciorum Publicorum numerari non debuisse, cum ab illo solo Magistratu ferri valeant; id tamen Autor facit Cap. 8.

REGULA I. QUÆST. VIII. de Judiciorum adjunctis, sive de rebus ad publica Judicia pertinentibus, non est vera; ubi enim illorum Judiciorum opus est, à mentione Sontium sedulo abstinetur. Secunda non est in usu; nam minimè necessarium est initio discutere personam accusatoris, aut accusati.

OBSERVATIONES in CAPUT VII. agens DE PœNIS.

Prima pars TITULI, quid veniat in Judicia publica, generalior est ratione consilii de Pœnis Sæcularibus agendâ.

Pleraque hujus Capituli Regule indicant solum Textus Juris, qui loquuntur de Pœnis, & qui in Regulas transferri possunt, juxta dispositivum: res hæc conficienda superest: nondum autem est absoluta. Divisio adhiberi potest ad Regularum distributionem. Pro Regula proponere debuisset, pœnam temperari debere, habitâ ratione Circumstantiarum, Personarum, Locorum, Temporum, aliarumve, quæ crimen aut minuunt, aut gravant, etiam in casibus, in quibus Leges pœnam determinant; quia sub eodem Personarum genere, quædam majores, quædam minores sunt; delectus autem fieri debet, circumstantiarum habitâ ratione v. gr. cum pœna Capitis à Jure irrogatur, inter varia mortis genera Judex eligere debet; cum exilium sancitur, Judex ipsius durationem, & distantiam loci determinare debet: cum pœnis pecuniariis locus est, Judex summam definit. Eadem moderatione, quam adhibere tenetur, ubi pœna indeterminata est, uti debet, cum genus ejus est determinatum, eam temperando pro qualitate delicti, ponderati, in omnibus suis circumstantiis, quæ persæpe magnâ varietate distinguuntur: Judex, qui dispensare potest à pœnâ per Legem latâ, ipsam minuere valet exequendo Legem, quâ fertur, ob eandem rationem.

In Regulis circa Personam delinquentium, REGULA V. supponit degradationem esse semper necessariam, priusquam Sæculari Potestati Clerici criminosi tradantur; contrarius est usus non solum apud Gallos, sed